



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Desidero SS. Eucharistiam attraxit Monachus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

pore simul vult pluribus, quantumvis distantibus, adesse, fecit etiam ipsum pluribus simul esse in locis Patriarcham: atque, ut desideria tantæ pietatis propagaret, vel ipsa miracula multiplicauit. Desiderat nimirum & Christus esse cum ijs, à quibus se videri desiderari. Eo autem præsentem, quid deesse potest; cum in illo sint omnia? Antigonus

Plutarch. II. *pugnaturus contra Ptolomæi duces, cum dixisset gubernator, multò plures hostium esse nauas; Me ipsum præsentem (inquit) contra quos nauas opponis? Contra quot hostes non Christum non opponemus; si quidem illum præsentem habeamus? Habemus autem,*

Thom. de Kemp. lib 4. cap. 3. *habere volumus; si dicimus: Desidero nunc deuotè ac reuerenter suscipere: cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear à te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum vniri desiderat.*

§. VI.

Desiderio SS. Eucharistiam attraxit Monachus.

Cæsar. lib 9. c. 37. *Magnes ferrum, ardens voluntas Deus attrahit. Cuius etiam exemplum Bernardus de Lippa, prius Liuoniæ Abbas postea episcopus, retulit, de quodam recens fidei*

ac, paulo post, etiam ordinem religiosum professus, ex eorum numero, quos *Conuersos* appellant. Ille, cum ceteris Monachis Eucharistiã porrigi vidisset, sibi que idem non licere, vehementer doluisset, *stans contra altare communicandi desiderio suspirauit. Et ecce pius Dominus, sine sacerdotis ministerio, de altari, per Sacramentum, descendere dignatus est, in os eius; qui mox hostiam aperto ore ostendens, Et causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos, qui aderant, in stuporem conuertit: eandem enim hostiã defuisse reppererunt in altari.* Adeò placet Deo desiderium piorum. Desiderat desiderantes; & qui illum accedere non possunt, eos ipse accedit: quia *uoluntatem timentium se facit.*

S. VII.

S. Catharina Senensis desiderio Eucharistiæ Eucharistiã potitur.

Quod etiam, in Senensi Catharina, conspicuum fuit. Laborabat illa iliaco aliquando malo: sed quia doloris remissionem sperabat, Raymundum, qui à confessionibus illi erat, rogauit, ut sacrificium tantisper differret, donec ipsa interesset, & sacrâ Synaxi refici posset. Continuato diutiùs dolore, iubet eum, etiam se absente, sacrifici-

D. Antonin. 3. p.
Chron.
tit. 23. c.
14. §. 8.